Gu... [illegible] ...ensis

Gelasinus

Novod. Scholae Pöenom. Gratulabunda Musa.

GRATVLABVNDA MVSA.

ILLVSTRISSIMI ac Reuerendissimi Domini,

D. IACOBI ZADZIK

Dei Gratia Cracouiensis Episcopi, Reipublicæ Senatoris, Seueriæ Ducis,

SANGVINI, VIRTVTI, & HONORI,

A

Nobili Scholæ Poëseos Nouodworscianæ Iuuentute cum magno venerationis officio

CONSECRATA.

Anno Christi recens orto M. DC. XXXVI.

CRACOVIÆ,
In Officina Typographica Francisci Cæsarij,

In Stemma Illuſtriſsimi.



Et ſcopulos tangit pacato Eccleſia fluctu
Nauigat atq; ſimul: ſic ſibi ſorte datum eſt.
Hæc Nauis duplici vultu conſpectat vtrumq;,
Chriſticolæ gaudent: Hæreſis atra timet.

Ioannes Dembinſki.
Stud. Poëſ:

VETVSTO
ILLVSTRISSIMI SENATORIS, SANGVINI.

PRæſul vetuſti ſanguinis decus inclytum,
Quem nulla dignis prædicare laudibus
Ætas poteſt, nec vlla poſteritas ſatis
Ornare, magnis editum à natalibus,
Et ſæculi nec anteacti quos vetus
Memoria, gratis tradere nepotum valet
Animis ſuo in numero, ſacris maioribus,
Quos, ſiue Eoas diligens reſpexeris
Plagas Poloni orbis, vel Heſperi, ſimul
Zephirique legeris angulos, omnes eos
Mirantur, almam & gloriam colunt, cui
Nec huius orbis oſque lauſque ſufficit.
Tantis igitur ô Nate Tu maioribus
Præſul, ſerenæ ſplendidumque patriæ
Iubar, coruſcum lumen atque Eccleſiæ,
Ingredere felix Te ambientem Craciam
Diu, Cathedram ſacroſancto ſanguine
De purpuratam inuiſe Diui Antiſtitis.
Plebis tibi concreditæ ne pendeant
Suſpiria ampliùs, petentis votaque
Populi face, age complexibus largirier
Velis Te eorum: proſper atque otius abi

Tuæ ſinum clariſſimæ & in Eccleſiæ.
Vides vt inſolito vſque ſurgant gaudio
Montes, ſuſurroque Iſtula fluat inſolens
Amæniore, lumen vbi Tuum videt
Nitidum ſibi illuxiſſe: ſcilicet etiam
Veniente Te ſperant ſibi Fauonium
Sereniorem, nec malo omine. Ita eſt ita
Etenim (quod olim ſancta ſcijt antiquitas)
Paſtore cum bono benè eſt: & compita
Rident, ſuoque gaudio benè geſtiunt.
At vbi mali Paſtoris aſpexit oculus
O quanta lædit vbique lumina, & pias
Mortalium mentes grauis triſtitia? tum
Squalent agri, prata lachrymæ ferè enecant
Cuncta ſenio emoriuntur, illico illico.
Vides vt Auguſtiſſimi Myſtæ, ſacer
Eccleſiæ Tuæ Senatus, par ferè
Quos Roma ciuitas caput mundi tenet,
Suſpicit & ornat purpuratis Patribus;
Vt glorioſa gens Sacerdotum, ſuis
Protunc relictis ſedibus; demum vt piæ
Animæ Patrum; quos nempè ſacro vinculo
Strictos ſuis incluſit ædibus Deo
Delapſa ab æthere famulans Diua pietas,
Tuum ruunt omnes in amplexum, prout,
Te vocibus tacitis petant, omnes quod &
Ore nequeunt, ſilentibus conclamitent
Hoc ſinguli pectoribus. O decus, ô decus
Eccleſiæ Antiſtes, veteris exemplar ô
Pietatis, ô mens digna cœlo, quæ ſacris

Ab im-

Ab immemore ſæclo parentibus, Dei
Veri piam ſemper colentibus fidem,
Contaminatis nec malæ vſquam erroribus
Hæreſis,es & polo datus & Eccleſiæ.
O Præſulum laus, gloria ingens mentium,
Sacro gregi Chriſti Deoq; debitis
Animis pijſſimo labori inhiant quæ. Age
Delubra Diuum, altaria ſacra, Præſulis
Sanctiſſimi ipſi æternitati debitum
Corpus ſalutatum veni, atque quem Tibi
Peperit honorem, dedit & hæc virtus Tua,
Beatus accipe: fruere diu proſperè,
I naue fauſtâ creditum Tibi mare
Auráque ſoſpite peragra: Themide ſuâ
(Altaribus cuius litare ſemper, &
Omni loco ſueſti) duce ipsâ & auſpice.
Scio, ſcio fuiſſe nullas auſteras
Adeò & acres Syrteſq; ſcopuloſque vſpiam
Non vinceret quos proſperè Nauis Tua hæc,
Quæ vellus illud aureum mentes Deo
Dictas & olim mancipatas cerbero
Emancipauit & ſuo reddidit Hero.
Loquuntur id tot templa ab Hereſi olim ſuam
(Rectore Te) reuerſa ad orbitam: ſuo
Moreſque Cleri redditi bono ordini.
Non cantibus Te ludere vllis potis erat
Fallax melos, quod corde virus perfidum
Occulit, & ore mel propinat improbum
Quot porrò deſides & oblitos ſui
Muneris ad officium vocaſti, conſili.

Magni Vir; ô quam ſentiunt curas Tuas
Illæ Diœceſes, ſacræ illæ aræ, quibus
Tuam optimam, vigilem intuliſti & ſedulam
Operam, requirant vt eouſque Te, ſimul
Tuam ſacram, diâm tuam prudentiam,
Quæ ſingulis & omnibus perquam optimè
Sanctèque conſultum eſt piorum mentibus.
Sunt magna Præſul hæc; & hæc illuſtria
Diuina facta ſunt Tua hæc. At illa, quæ
Tua grata patria ſuſpicit lætiſſimis
Oculis, ſacra illa publici ara conſilî
(Vbi venerandus ordo patrum confluit)
Miratur, & mente ſtupet attonitâ, ſacra
Reſponſa dico illa, & ſacræ ſententiæ
Ad patriæ ſaluam ſalutem proditæ
O cœlicum quàm ſpiritum ſapiunt, Iouis
Quàm cerebrum & oſtendunt & aſſerũt benè.
Non iactet hic perfida vetuſtas Delphici
Apollinis ſinuoſa vafraq; (dæmonis
Fallacis ingenium quod eſt) oracula.
Miremur haud hæc, quæ vetuſtas inſcia
Et fabuloſa dictat vſque huc credulis
Animis. Tuus Præſul hic in illuſtri Tuæ
Mentis ſacrâque ſede Conſus conſidens
Et illa prudentiſſima in linguâ tuâ
Suada vbique promit ſana & ipſa oracula
Tu Tu ſepultam callidis ab artibus,
Gratam Tonanti veritatem, ſemper ô
Votis Deam omnibus hominibus optabilem
Toties & ipſe recreaſti, & obrutum

Caput

Caput ſuum iam pænè ſacrum lingulis
Heu maleuolis perquam piè ſolatus es.
Nunquam Tibi vel auribus vel gratiæ
Seruire cordi erat: nec aſſentatio
(Quæ plurimos hinc iam ſibi malè mancipat)
Vnquam Tibi tendere ſuas fallacias
Auſa eſt: & vtroque pede claudicabat ille
Ille ipſe Plutus aureus, qui liberam
Mortalium vocem (ô facinus) eſſe impedit
Ibi liberis animis, vbi opus eſt maximè.
Tibi innocentia comes vbique, curia
Seu, ſiue Te ad ſuum vocauit inclytum
Aſtræa templum, publico illic commodo
Conſultum vt eſſet per Te: & hic procul à bonis
Illis & innocuis truces iniurias
Repelleres accipitrum. Et ecce præmium
Iſti Tuæ virtuti honos ampliſſimus
Tali Viro dignuſq; Cancellarij:
Hunc Te Perinclyte Præſul, hunc patria Virum
Suſpexit hîc domi. Sed en clariſſimum
Lumen Tui magni & peralti conſilî,
Lux clara diuinæ Tuæ prudentiæ
Regni iſtius latè licet patentis, haud
Potuit teneri terminis: & barbaro
Illuxit etiam olim Boryſtheni, ſuæ
Cuius ſaluti tantùm ibi tunc profuit
Quantùm prius ſuâ obfuit veſaniâ.
Te naufragantis iam ſuæ illi patriæ
Certam vocabant anchoram; meliorem & vt
Mentem doceres ſe, volebant vnicum

Patrem

Patrem identidem Te dictitantes proprium.
Quid peruicax Suecus Tuam nonne toties
In ſanciendis legibus pacis bonæ
Probauit & complexus eſt ſententiam?
Iam conſecrabunt credo quamuis barbaræ
Gentes apud ſe æternitati nominis
Tui decus, Tuoque conſilio bonam
Se viuere quietamque vitam, ſæculo
Suiſque ſeris aſſerent nepotibus.
Tu vero Magne Præſul vnicum Tuæ
Patriæ decus, nobis diu viuas, diu &
Academiæ, vitam Tibi quæ dedicat
Acceptam, & vnico parente Te fore
Superſtitem ſe clamitat perenniter.
Age viue, cœlum Te, aura, vita, ſæculum,
Et ſoſpitem diu & beatum geſtitent.

M. GASPAR GELASINVS
Profeſſor Poëſ. Nouodworſcianus.

DIVINÆ

DIVINÆ
MAGNANIMI ANTISTITIS
VIRTVTI.
Ode Tric: Tetraſtroph.

PRæſul vetuſtæ Fama proſapiæ
Virtutis almæ cultor, & inclytum
Ornamen orbis, & Senatus
Gloria delicium Poloni.
Te ſiue Diuus Pontificum tenet
Ordo, ſupremus queîs dedit arbiter
Rerum poteſtatem ſupremam
Vt regerent populum; cruentus
Diui Tonantis, quos ſibi vendicat
Sanguis, peraltum iureq́; reppetit
Cœlum ſuo, beatâq́; illic
Cœlicolûm reſidens Coronâ.
Vel Te ſereno clara Poloniæ
Propago ſpectat lumine, dignitas
Quam fixit altiore in orbe
Vt patriam legerent ſalutem.
Virtus ſupra Te collocat omnium
Laudem, Tibi ipſi præmia colligit
Pallas, magiſtra ſanctioris
Conſilij ſolidæq́; mentis.

Ac vsq; soli dat Tibi limpidus
Candor perennem pro merito suam
Laudem: Tuum nomen sacrumq;
Temporibus dicat & supremis.

Isidorus Ianusius de Ostrog,
Dux in Zaslaw, Palat: Kijouien:
Stud: Poës:

Ode Dic: Tetrastroph:

IAm iam mœstiferæ finite lachrymæ
Iam vestros Craciæ linquite lumina
Vultus, luctisonis spargere fluctibus
Venit lætitiæ dies.
Demessas toties Pontificum sacrûm
Mitras falce trucis mortis, & impiæ
Fortunæ inuidulâ funeribus datas
Atris sorte né plangite.
Vestri cura pio Cracicolæ data est
Magno & Pontifici, nauigio suo
Qui vestris studium impendere mentibus
Iam feruens properat suum.
Atras iam celeres pellite Nænias,
Iam tristi miseras mittite carmine
Parcas plectere, nec iam amplius æthera
Mæstis sollicitent modis
Vestri solliciti ob funera Præsulum
Tot vestrorum animi: Præsul it inclytus
En ad vos properat laus noua, gloria ad
Vos scandit noua: plaudite.

Cui

Cui virtus peperit tempora Neſtoris
Virtus quæ ſuperis ædibus euolans,
In Dio celebris pectore Præſulis
Conſedit, ſibi plaudite.
Viuet conſilio magnificum caput,
Viuet; nauigium nec prius inſeret
Virtus illa ſuum (credite) ſyderi
Ætas quàm ſua Neſtorem.

Caſimirus Rádomicki, Palat. Inowlodzláuień: Studioſus Poëſ:

Ode Dic. Tetraſtroph:

NObilis, Præſul memorande, gentis
Sol coruſcans Zazianæ, Polonos
Nobiles inter radians vt inter
Sydera luna.
Tu ſacrâ iuſtè decoratus vſq; &
Cœlicâ Præſul Pie dignitate es,
Vt Tuâ Chriſti face Sponſa, ſole vt
Luceat æther.
Tu ut Pater vultu placido foueres
Languidas mentes hominum miſellûm,
Siue quos diris vitijs ad Orcum
Cerberus vrget,
Siue quos non vult maleſana turpis
Hæreſis, viuæ fidei ſub alas
Turba, ſacras mittere; ſiue quorum
Inſcia corda
Se voluptati malè manciparunt;
A Deo Paſtor datus es, ſuiſque ab

Incolis gratus Pater & vocatus
Rite & amatus.
Altius Nauem vehat orbe ſolis
Ille, cui hoſtis toties ſeuerus
Barbaris flexit genibus, nitentis
Sarmatiæ ales,
Eleuet Nauem ille Tuam hanc ſerenam,
Grata Te & Patrem, Pario per aurum
Marmori inſculpat patria, hæc Olympo
Laus Tua par ſit.

Ioannes Hulewicz, Succamerarides Luceor: Stud: Poëſ:

Ode Dic: Tetraſtroph.

NON iactet moneo ſuum vetuſtas
Orpheum, rigidos ſuis leones
Qui duros potuit, mare, &
Syluas flectere cantibus.
Non iactet lapides, quòd & mouere
Amphion potuit, ſonoro & vſque
Thebas mænibus inclytas
Dulci cingere barbito.
Non iactet, per aquas quòd atq; Arion
Vectatus fuerit per obſequellam
Muti Delphinis ilicet
Dulces ob modulos lyræ.
Noſter dulciloquo haud aquas tacentes
Et mutos lapides feraſque agreſtes;
Mentes aſt hominum, poteſt
Vnquam cogere quas nihil.

Traxit eloquio ſacrâque ſuadâ;
Moſcha tu loquere, heu Tibi ſüaues
Quantas delicias agunt
Voces Præſulis inclyti?
Quàm dulces ſapiunt adhuc loquellæ?
Prudentes ſapiunt ſüaſiones
Quantum? conſilio ſuo
Viuis? viuere dicito.
O mens, ô cedrinis caput corollis
Dignum: ô nobiliora dicta Cedro,
Æternum ſibi viuite,
Grato viuite ſæculo.

Alexander à Koniecpole Koniecpolſki,
Stud. Poëſ:

Ode Dic: Diſtrophos.

BEatus æui tranſigas Præſul viam,
Excelſo Olympo ipſi inſeri
Viuente Te hîc quæ digna, felix tranſigas.
Naui Tuæ nulla nebula
Fluctuſque nigri factitent negotium;
Horæ quietæ, albi dies
Sibi luceant, quando feretur proſpero
Curſu, bono ſimul omine,
Alti vel in Tui profundum conſilî,
Inde patriæ magnas opes
Latura; vel ſublime ſpectabit ſuæ
Illinc decus plebeculæ

Tractura. Tua vtinam senecta viuida
Nullo doloris impetu
Petatur, vt de Te Tuis solatium
Non triste profluat ouibus.
Ferat supinus nunc manus cœlo Tuus
Clerus, Tuâ præsentiâ
Factus beatior, Deoq; acceptior
STANISLAVS Poloniæ
Laus, gloria Sacerdotij, lux Martyrum
ALBERTVS inclytus, pius
IACOBVS, vt nomine Tibi, sic moribus
Similis, diu Te sospitem
Faciant, Pater, Senator, atq; vt plurimo
Felix perennes sæculo.

Martinus Oleśnicki,
Studiosus Poës:

Ode Tric: Tetrastroph.

O Diua, sero quæ sacra tempori
Mandas: nec atro funere conteri
Sinis: foues grato sed vsque
Pectora, percelebri sinuq;.
Seu Te supernis detinet ædibus
Cœlum, vel orbis compita pernice
Pennâ pererras, inclytosque
Magnanimûm celebras honores
Heroüm: amœno sydere sæculum
Quos intulit mundo, & memori fouent
Nusquam

Nuſquam perire quæ valebunt
Tempora, peruigilique mente.
Accede, diuam Craciæ Epiſcopam
Vultu ſereno conſpice, lætaque
Da greſſibus diuis ſacrati
Oſcula Præſulis. Hîc adora
Laudanda nullis nomina vocibus
Satis: nec vllo carmine poſthumæ
Ætatis ornandos honores,
Innumeras ſimul atque laudes.
Hîc clara diuo vertice verberat
Virtus Olympum, lumine fulgurant
Huius ſacræ Diuûmque ſedes,
Dignaq; Præſule terra tanto.
O Diua tantum dic age Præſulis
Nomen, remotis mittito finibus:
Indi canant ſuos honores,
Vltima dicat & vſque Thule.

Paulus Kurdwánowſki,
Studioſus Poëſ:

Ode Dic: Diſtrophos.

SIC te Virgo potens poli,
Sic cœli Proceres lucida ſydera,
Noſtratumque regat Pater
Diuus Staneſilaus Craciadûm decus,
Nauis, quæ Tibi creditum
Debes Præſuleum pectus, Epiſcopæ
Reddas

Reddas incolume obſecro,
Et ſerues patriæ præſidium ſuæ.
Illum, Tartareum chaos,
Vel diris Phlegeton fluctibus obruat;
Raptum præcipiti impetu,
Vel ſæuo ſtygij gutture vultures
Rodant, vſque, nec expleant
Vnquam tetra ſuo corpora pectore,
Donec Cynthius inclyto
Clarus lætificet tartara lumine:
Qui vel perfidus inuocet
Audaxque ore fero præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Vel triſtes Hyadas, vel rabiem Noti;
Orco vel moueat ſuos
Infames ſcopulos, monſtra Acherontica,
Queîs (omen procul) hæc ſacra
Conflictata ratis naufraga corruat.
Te te, Virgo potens poli,
Te, Diui Proceres, inclyta lumina
Orbis Lechiaci ferant
Felicem, atque vehant incolumem precor.

Ioannes Stradomſki,
Stud. Poëſ:

AVGVSTO

AVGVSTO
AMPLISSIMI PONTIFICIS
HONORI.

Emblema I.

Diuus Stanislaus Pontifex è nubibus prominens Nauem Illustrissimi, quam Ianus bifrons duplici vultu insignitam conspectans pro suâ salutat, ad cœlos transfert.

MAgnanimi Nauem Pastoris Iane salutas,
Iane bifrons tractas duplice fronte ratem.
Non tua Nauis ea est: Diuis debetur, Olympus
Scilicet hanc Puppim clamitat esse suam.
Frons tua nam terras vultu spectabat vtroq;,
Nauis at hæc vultu spectat vtroque polum.

Ioannes Broniewski,
Stud. Poës:

Emblema II.

D. Stanislaus sudantem mitram suam capiti Illustrissimi è cœlo prominens imponit.

QVid video? nitidos reserato cardine cœlos,
Sanctam Stanslai sydere labi animam.
Sudanti video circumdat candida mitrâ
Præsulis hic nostri tempora Præsul item.

Ne metuas Præsul, Patriæ Sponsæque Tonantis
Consule, qui dat onus, dat simul idem & opem.

Stephanus Drzewiecki, Stud. Poës:

Emblema III.

Polonia gratulabunda offert Illustrissimo linguam lauro Coronatam.

STat lætans celebrique simul diademate Virgo,
Virgo cui vultum regius ambit honos.
Pontifici donat noua, cerno, munera, linguam
Cum lauro; nouus hic quid sibi poscit honor?
Hæc domuit Suecũ lingua, hæc eadem ipsa cecidit
Moschum, sic victrix lingua triumphet. Io.

Franciscus Niewidrowski, Stud. Poës:

Emblema IV.

Polonia innixa super Illustrissimum, expugnaturam se totum orbem pollicetur his verbis. Te comite possũ.

VIcimus imbelles tristi sine funere Suecos,
Felici Moschos vicimus arte simul.
Haud potuit sæuus tam immitia pectora Mauors
Sternere, mentem queis mox Tua suada dedit.
Sit licet immensus, numeroso & milite plenus
Orbis, me sequeris si, hic quoque noster erit.

Stanislaus Dabski, Stud. Poës:

Emblema V.

Nauis Illustrissimi rapitur à Diuis in astra, sed supplex populus

populus & Clerus Diœcesis Cracouień: eam in terrâ remoratur.

IAm nitido Nauis cœlo pergrata ſcidiſti
Immenſum multo feſſa labore ſalum.
Aſtra pete, aiunt ſic Cœleſtes, imò perenni
Tempore duret vt hîc, Cracia mæſta rogat.
Quæ toties cùm ſit varijs iactata procellis,
Tantùm iam eſſe, rate hac ſoſpite, ſalua poteſt.

Petrus Biáłozorſki,
Stud. Poëſ.

Emblema VI.

In Naue ſuâ ſedentem Illuſtriſſimum, Religio, Doctrina, & Fama, in ſuam Cathedram inuehunt.

QVid mihi Romulidûm veſtris ô turba leones
Iactatis dictis? quid tigrideſque feros?
Veſtros vectabāt qui quondā ex Marte triumphos:
Nobile, ſi videas, hîc mage cernis opus.
Illuſtrem famâ, magnum ſimul arte, piumque,
Virtus, & pietas, ipſaque fama vehunt.

Romualdus Czermińſki,
Stud. Poëſ:

Emblema VII.

Hæreſis Infulæ Illuſtriſſimi ſua vexilla ſubſternit.

LVX Lechiæ Præſul, laus non poſtrema Polonę
Stirpis, percelebris gloria Chriſtiadûm.
Præſul Nate polo, diuino Pneumate pectus
Plenum, atque æterno Myſta colende die.

Te celebrent Craci deuotæ hinc vndique mentes
Et Sacros Fasces perfida turba tremat.

Andreas Pipan, Stud: Pöës.

Emblema VIII.

Ecclesia in Naui Illustrissimi secura per mare mundi vehitur.

SPonsa Dei materq; soli, pia cura Tonantis,
Cui orbis dudum vita salusq; data est;
Fluctibus innumeris grauibusq; agitata procellis
Iactor, non vnquam vita quieta mihi est.
Diue Tuam Præsul sinito me scandere Nauem
Huius enim fausto numine tuta ferar.

Iacobus Naimanowicz, Stud. Pöës:

Impensis, ex fundatione perpetuâ, M. D. BARTHOLOMÆI Nouodworski, Equitis Melitensis, Ord: Sancti Ioannis Baptistæ Hierosolimitani, S. R. M. Aulici, & militiæ Præfecti, Commendatoris Posnaniensis, excussa.